

2.

3.

4.

5.

6.

7.

8.

9.



1765.


1. <sup>19. 2. 6.</sup> Chladenius, Augustus Martinus: De fidei commercio sub  
causa conditionaliter concepta relicto. 2. exempl.
2. Chladenius, Augustus Martinus: De archibus
3. Chladenius, Augustus Martinus: De spoliis
4. Chladenius, Augustus Martinus: De magistratibus
5. Fischerus, Ferdinandus Augustus: De jure cogendi et vendendi  
cerevisiam
6. Hanaccus, Christianus: Ord. jur. ... Decanus: Lectori  
beneficentis s. d. p. (ad Oratoriam in a. m. Christiani Adl.  
Lithi Honneltii invitata)
7. Hanaccus, Christ: De praefecturae eorumque origine  
in Germania.
8. Krausius, Georgius Friedrichus: De jure in arboribus et in  
in rupibus prominentes aera.
9. Pauli, Martinus Theobaldus: Ord. jur. ... Decanus,  
Lectori beneficentis s. d. p. (ad Oratoriam inauguralem  
Theophili Adleri invitata)

10. Pini, Martinus Gulleib : Ordinis juridici . . . Decanus  
 lectori honorato s. p. d. (ad reipublicam inauguralem  
 Fractim: Gurtelini Weikmanni innotat)
11. Pini, Martinus Gulleib : Ord. juridici . . . Decanus .  
 lectori honorato s. p. d. (ad reipublicam inauguralem  
 Christeni Gulleibi Bergmanni innotat)
12. Pini, Martinus Gulleib : Virtutalis inauguratio juridica,  
 qua Lusobium gubernare tam quam originem quam  
 proprii jura Saxoniæ esse coloniam assertus.
13. Schellitz, Jostin Christianus Lahn : (De remedio revisionis  
 ex legibus imperii et proxi. camerali)
14. Tiber, Joannes David : Sermo de Hermonastro aereo.
15. Weikmann, Fractim Gurtelini : Oratio juris publici,  
 qua civitas Halanensis neque olim in regni Romanici  
 fuisse, neque hodie in imperii Romano Germanici  
 esse potestate, ejusque formula contineri ostenditur.
16. Worm Vorfian, Evertus Fider : De prece Nisianna e jusque  
 in Liturgia est.

1<sup>a</sup> Classe - Kriechtshch.

1766.

1. Hommelius, Christianus Gottlieb: De juribus et obli-  
gationibus praefectorum in Saxonia
2. Krausius, Georgius Fredericus: De lege commissa
- 3<sup>a</sup> Kraus - Hanckowius  
3. Krausius, Georgius Fredericus: De literarum obligationibus.  
et una numerata pecuniae exceptaue
4. Krausius, Georgius Fredericus: De poena decreti Viri Marci  
et quae ambiguo in Saxonia usu.
5. Tanggath, Georgius Augustus, Rector acad. Vitebergensis:  
s. p. v. et ad sacra Christi triumphantis paschalis  
celebranda invitatio.
- 5<sup>a</sup> Weichmann  
6. Wiesand, Georg Hepten: De jure Germanico melius  
perficiendo.





2584

27  
/ 6

1766

DE  
IVRE GERMANICO  
MELIVS PERFICIENDO

BREVITER EXPONIT

ET

AD AVDIENDAM ORATIONEM

QVA

MVNVS PROFESSORIS INSTITVTIONVM  
ORDINARI

IN ACADEMIA VITEMBERGENSI

DIE VII. APRIL. A. S. R. CIOIOCLXVI.

RITE AVSPICABITVR

HVMANITER INVITAT

D. GEORG. STEPHAN. WIESAND.



DE  
IVRE GERMANICO  
MELIVS PERFIGIENDO  
BREVITER EXPOSIT

ET  
AD AULICAM ORATIONEM

MELIVS PERFIGIENDO

ORDINARI

IN ACADEMIA VITIMBERGENSI

DIE VII APRILIS A. M. DCIIOCCXXXV

AVTENTICAVIT

REMANENS

D. GEORG. STEPHAN. WISSMAN.





### PRAEFATIO.

**E**rit hoc saeculo nostro semper honorificum, quod omnes fere gentes humanitatis laude commotae, iura antiquius constituta, diligentius inuestigauerint, et, prouti reipublicae postulabat conditio, vel nouis accessionibus locupletauerint, vel legibus aequioribus correxerint, magnamque dederint operam, vt salus publica prudentia legum sapienter repertarum fideliterque obseruatarum stabiliretur firmitus. Qua laude si vlla gens praestat, ea certe est diffusa Germanorum natio, non minus rerum gestarum gloria, quam legum conditarum sapientia insignis. Ex quo enim Germani praestantissimorum virorum auctoritate excitati, res patrias rectius aestimare coeperunt, nobili sane studio iura domestica ex omnium temporum monumentis conquisiuerunt, multoque labore ex barbaris saepe scriptoribus imperatorum principumque nostrorum sanctiones eruerunt. Sic nostra iurisprudentia studiis liberalibus mirum in modum adiuta, maxima cepisset incrementa, nisi quorundam improbis consiliis fuisset imminuta. Fuerunt, qui nimio iuris peregrini amore correpti, etsi in media Germania nati, et a domesticis praeceptoribus instituti erant, omne tamen iureconsulti officium in legibus populi Romani interpretandis versari existimarent, atque audacter statuerent, tanto beatiorem fore Germaniam, quanto maiorem  
A digni-

dignitatem iuri extraneo tribueret. Qui cum saepenumero magnam consequerentur famam, homines imperitos falsis iudiciis conturbantur, atque in detestandos errores induxerunt. Non quidem defuerunt, qui e parte contraria omni animi contentione iuris patrii auctoritatem ab iniuriis defenderent viamque regiam, qua ad eius veram intelligentiam eundem est, amice monstrarent, quorum tamen vestigia pauci tardo nimis gradu persecuti sunt. Quaerenti vero mihi, cur tam multi ius patrium tantopere negligant, cum multae causae obuenerunt, tum ea visa est praecipua, quod plerosque ipsius studii difficultas deterreat, cui addiscendo se credunt esse impares. Hoc enim iter dicunt esse valde longum, asperum multisque spinis confutum, quod per regiones incultas barbarasque solitudines curiosos viatores deducat, eosque errantes in locis maxime obscuris vehementer fatiget. Et sane, si quod res est, fateri volumus, iuris Germanici studium non ita, uti optamus, adhuc est excultum, licet omnes, qui in eo colendo diligentius elaborarunt, debitis laudibus subenter afficiamus. Nihil igitur temerarium, aut ab officio pietatis, quam in praesenti declarare debemus, alienum suscipiemus, cum de iure nostro melius perficiendo libere et fideliter exponamus, breuiter dicturi, qua ratione eiusmodi labor feliciter subeundus, et quibus potissimum subsidiis adiuuandus sit.

*Auctoritas iuris Germanici vindicatur.*

Primo necessarium esse arbitramur, auctoritatem iuris patrii ab omni iniuria praestare incolumem. Quod ut recte fiat, memoria antiquitatis est reperenda. Nostri maiores iuris scripti prorsus nescii, nihil magis, quam auitas consuetudines amarunt, easdemque tamquam lautum patrimonium ad posteros iure quasi hereditario transmiserunt. Testatur hoc grauissimus auctor Tacitus, qui fortitudinem Germanorum inuictam, castitatem incorruptam, simplicitatem naturalem, fidem inauditam praec-

praeclaramque humanitatem, magnis laudibus praedicat. <sup>a)</sup>) Ipse magnam sensisse videtur voluptatem, dum pios refert mores, quos veteres Germani domi militiaeque in negotiis publice priuatimque expediendis studiose obseruarunt. Cum postea commerciorum vsus, bellorum cum exteris gestorum frequentia, leuisque migrandi consuetudo alios mores induceret, Germani a prisca virtutibus deflectere coeperunt, inque peregrina vitia inciderunt. Sapienti igitur consilio nationes aequitatis amantiores certa iura condiderunt litterisque mandarunt, quae licet elegantiae et acuminis laude destituantur, eo tamen iustiores merentur laudes, quo magis genio cuiusuis populi conueniunt. Diceret fortasse aliquis, non esse, quod hic vetustae commemorentur leges, cum in iis clara cernantur iuris Romani vestigia. Id vero bene scimus, et alio tempore ipsi fuimus confessi, <sup>b)</sup>) sed ideo earum auctoritati nihil detrahi arbitramur. Si quis nobis Wisigothorum, Longobardorum et Baiuuariorum erga instituta peregrina amorem exprobret, ei Saxonum, Werinorum et Frisonum religiosum seruandi moris patrii studium opponimus. Nec erit necessarium tam inuidiosa ferre iudicia, cum Germanis numquam defuerit ius proprium, in solo patrio natum curaque prudenti adauctum. Reuocarem hic in memoriam prisca tempora, et a prima antiquitate perspicua huius rei argumenta repeterem, nisi docta praestantium virorum industria hunc laborem dudum occupasset, e quibus Valesium, Herrium et Mascouium nominasse sufficere. Solus imperator Carolus, splendidis virtutibus vero Magnus hanc confessionem obtrectatoribus inuitis extorquet, quod gentes suae ditiori subiectas pulcerrimis legibus instruxerit, moresque superstitiosos deleuerit. <sup>c)</sup>) Idem studium mendi leges patrias prae se rulerunt

A 2

tanti

<sup>a)</sup> in auro de morib. Germ. libello c. 6.  
14. 18. 19. 22. 25.

<sup>b)</sup> in disputat. de origine et natur. leg.  
Sal. s. 30.

<sup>c)</sup> Eginhardus in vita Caroli M. c. 29.  
Perr. Georgisch. corp. iur. Germ. p. 535.

.807



ranti imperatoris successores, Ludouicus pius, Carolus caluus, Ludouicus balbus et alii, quorum sanctiones in capitularibus adhuc supersunt. <sup>d)</sup> Contigit Germaniae ea felicitas, vt per multos imperatores praestantissimarum legum latores acresque priscaurum consuetudinum tutores venerata sit, in quibus Henricus auceps, Lotharius Saxo, Fridericus I et II, Carolus III, Maximilianus I et alii magnam gloriam consecuti sunt. Non negamus, iam antiquitus quaedam ex iure Romano, praesertim ex codice Theodosiano in verustos legum Germanicarum codices fuisse translata, sed ideo maiores non valde vituperandos esse censemus, cum id ipsum quandam cupiditatem optima quaeque decerpenti inque commoda publica conuertendi prodant. Nonnullae duntaxat nationes, quae Romanorum prouincias occuparunt, vel eorum consuetudinem coluerunt, quaedam ab iis mutuatae sunt, saluo tamen iure patrio, ceterae vero vnice institutis domesticis adhaeserunt. <sup>e)</sup> Nec id aliter fieri potuit, enim Germani ipso coelo, victu, animi corporisque habitu a Romanis plurimum distulerint. Habuerunt propriam reipublicae regendae formam, diuersum plane negotiorum publice vel priuatim administrandorum modum, quod facile cognoscitur, modo quis paullo attentius iura nobilium et ingenuorum, varias feruorum operas, singulares manumissionum, adoptionum et nuptiarum ritus, diuersa tutelae et curationis genera, contractuum formas multiplices, peculiare domini, successione et hereditatis species, ipsam denique litium tractandarum et iudiciorum exercendorum rationem consideret. Quae omnia Romanis vel prorsus fuerunt incognita, vel alio tamen modo obseruata, vt inde non potuerit non oriri iurisprudencia maxime diuersa. <sup>f)</sup> Non igitur eos multum morabimur, qui vel ignoratione vel malitia

<sup>d)</sup> in corpor. excitat. p. 807 seqq.

<sup>e)</sup> Io. Henr. Boerisius in comment. de Germania iurisprudencia domestica nunquam desitura, id latius exposuit.

<sup>f)</sup> Varia negotia Romanis plane incognita enarrat Io. Georg. Cramerus in progr. de coniungendo iur. et antiquitat. German. studio p. 28 seqq.

malitia, conuiciis impiis iuris Germanici honorem insectantur, illudque fundamentis incertis niti opinantur. Hi saepe odiosas querelas de vagis consuetudinibus, et statutis sine vlla elegantia parum accurate compilatis, deque nimia iurium varietate effundunt, iuris vero Romani aequitatem, sapientiam, subtilitatem, venustatem aliaque mirifice praedicant. Quibus breuiter reponimus, Germanos quidem passim nonnulla iuris peregrini capita approbasse, et liberali quasi hospitio recepisse, <sup>g)</sup> ea tamen ratione, vt ius proprium in causis decidendis primo loco adhiberent, <sup>h)</sup> et locum secundum peregrino iuri assignarent. Hanc Maximiliani I et aliorum imperatorum fuisse mentem, et ipsae eorum constitutiones declarant, <sup>i)</sup> et omnes, qui vera a falsis discernere sciunt, vno ore confitentur. Sed iam ad institutum propius accedamus.

*Priscae leges diligentius explicandae.*

Quod in ceteris praecipitur doctrinis, vt omnes, qui earum recte discendarum sunt cupidi, ipsos adeant fontes, id hic imprimis admonere debemus. Antiquissimi mores ex scriptoribus satis notis erunt petendi, de quibus nunc dicere non attinet. Adhortandi sunt omnes iuris Germanici studiosi, vt leges priscaearum gentium maiore, quam vulgo fieri solet, cura inuestigent et perlegant. Quis enim aequo ferat animo, Germanos incredibilem operam legibus Romanorum obscuris ex omni auctorum genere colligendis, apte ordinandis copiosaeque explicandis nauasse, parum vero vel nihil studii iuribus domesticis tribuisse? Perpauci hoc pietatis officium patriae praestiterunt, vt leges vetustas sumerent diligentius explanandas, digni, qui-

A 3

bus

g) Consulatur imprimis Perill. Henr. Christian. de Senckenberg *methodus iurisprud. nroae* p. 109 seqq.

h) Quod egregie probauit Io. Sam. Brunquellus in *prol. quae in pugna iur.*

*Germ. et Rom. illud huic imprimis in causis illustr. decisionibus praefereendum esse, ostendit, vt alios omitteremus.*

i) *Ordinat. indic. cameral. Wormat. de anno 1495. §. 20.*



bus honorificae ponantur statuae. Celebrabitur semper ingeniosa interpretatio Eccardi, legem Salicam docte interpretantis, vilis industria Gaertneri, quam explicandae legi Saxonum impendit, exquisita denique doctrina Siccamae, quam in illustrandis Frisonum institutis monstravit. Nec ingrato silentio omittenda eximia Hoffmanni merita, qui rebus obscuris lumen, obsoletis gratiam, desperatis sanitatem attulit, <sup>k)</sup> cuius ossa molliter quiescant! In hoc vero antiquitatis studio multos distractionis verustae barbaries et vitiosa lectionum copia retardat, quas molestias omnino si non tollere, minuere tamen cupimus. Vt nam ex bibliothecarum tenebris omnes protraherentur in lucem codices, quos fidelis librarium manus olim diligentius descripsit, ut quaevis lex pristinae integritati restitueretur! Quomodo vero interpretatio verborum obscurorum instituenda et adiuuanda sit, postea dicemus. Sed, quid eam rem commendamus, quae multis parum videtur esse fructuosa? Nonnulli leges antiquas tamquam inutiles iniquo odio contemserunt, alii vero eas praesenti saeculo nihil prodesse statuerunt. Illi earum vim numquam bene cepisse videntur, hi vero recte sentiunt, modo earum usum in explicandis iuribus agnoscant. <sup>l)</sup> Sunt antiqua cum institutis aetatis posterioris tam arte coniuncta, ut haec sine illis nullo modo intelligi queant. Explicet mihi quis sine illis iura ingenuorum, burgensium, conjugum, diuersa dominiorum, successionis et rerum hereditariarum genera, dotem, morgengabam, vidualitium, usumfructum, diuersos probandi modos causarumque disceptandarum rationes, et magnus erit Apollo. Concedimus, maximam earum partem usu contrario extinctam, vel legibus posterioribus esse abrogatam, nihilo tamen

<sup>k)</sup> in *observatione iur. German. Francof. et Lips.* 1738. quem libellam omnes qui illo elegantiae sensu et amore in patriam mouentur, in deliciis habent.

<sup>l)</sup> Illustr. Io. Sam. Frid. Bochnerus in *progr. de praedicio iur. Germ. in causis prinatis* §. 5. multa admonet vitia. Adde Illustr. Henr. Broketii *commentat. de exiguo antiquar. leg. German. usu.*



men minus earum studium serio commendamus, cum et ad consecutas postea leges recte interpretandas multum faciant, et ipsae non tam sublatae, quam potius mutatae, et modo arctius restrictae, modo latius amplificatae sint. <sup>m)</sup> Quae vero huc vsque diximus, ea pariter ad capitularia regum Francorum pertinent, quae etsi non eiusdem sunt generis atque auctoritatis, insignem tamen usum in explicanda Germanorum iurisprudentia praestant, ad quae diligentius legenda omnes magnopere adhortamur. <sup>n)</sup>

*Excolenda est magis aetatis mediae iurisprudentia.*

Hoc itinere feliciter confecto, alacritus ad media tempora procedendum omnisque molestia obdurata patientia intinctaque constantia est superanda. Adeundi igitur erunt ii, qui res imperatorum et principum Germaniae memoriae tradiderunt, et vel singulorum vitas descripserunt, vel annales ad res diuersae aetatis melius contextendas, nulla quidem elegantia, fide tamen incorrupta tradiderunt. In quo imitabimur studium eorum, qui in abditas descendunt caernas vilesque effodiunt materias, spe dulci recreari fore, ut quid aeris nobilioris eruant. Nec nos poenitebit laboris improbi, dum memorabiles principum sanctiones ibi integris verbis enarrari, ritus maiorum obscuros clarius illustrari, multa denique scitu necessaria commemorari videmus. <sup>o)</sup> Erunt hic diligenter considerandae istae consuetudinum collectiones, quas speculorum nomine insigniuerunt compilatores, dignae, quae assiduis conterantur manibus. Non quidem

<sup>m)</sup> Non igitur plane repudianda est sententia Contr. Sinceri, quam in *dissert. de German. leg. veter. ac Roman. iur. in republ. nostr. origin. profert*, antiquas leges, quatenus non abrogatae sunt, adhuc stare.

<sup>n)</sup> Consultatur imprimis Christ. Go-

dofr. Hoffmannus in *specim. de orig. et natura leg. German. p. 77* seqq.

<sup>o)</sup> Magnopere commendamus lectionem scriptorum aetatis mediae, quorum indiculum diligenter exhibet *Marq. Freheri directorium, in omnes fere annalium scriptores et historicos*, cura Io. Dan. Koeleri reculum.

quidem nos fugit, eorum auctores commisisse errores ridiculos fabulasque lepidas cecinisse, quin multa ab aequitate plane abhorrentia tradidisse, sed cauendum, ne vitiorum reprehendorum cupiditate seducti, eorum laudes et merita negligamus. Grata potius memoria honorare fas est seneros morum patriorum custodes, qui instituta maiorum temporum turbulentissimorum iniquitate obscurata in lucem reuocarunt, praeclaram vero operam dederunt iis argumentis bene exponendis, ex quibus splendida principum auctoritas, diuersi subiectorum ordines iuraque iis coniuncta, patronorum et vasallorum legitima coniunctio, diuersae pactionum formae, omnis denique maleficiorum puniendorum ratio luculenter perspicitur. Quid vero eos libros iniquis iudiciis premunt, qui tam magnam auctoritatem in permultis prouinciis consecuti sunt, vt communia haberentur oracula? Ex quibus tamquam ex fontibus vberimis manarunt diuersarum gentium iura celebratissima. Ex speculo enim Saxonico non Saxonum modo, verum etiam gentium vicinarum instituta esse deriuanda, dudum probauit Euchar. Gottl. Rinckius, <sup>p)</sup> vt alios omittamus. Florentissimas vrbes Lubecam <sup>q)</sup> et Hamburgum <sup>r)</sup> ex eodem pariter iura sua hausisse, est res adeo certa, vt nulla amplius probatione egeat. Nec minus est aestimanda ista iuris Alamannici collectio, quam inepte speculum Suevicum appellant, <sup>s)</sup> cuius vsus est vir non indoctus Steph. Christoph. Harpprechtus de Harpprechtstein negare conatus est, <sup>t)</sup> alii tamen maiore cum laude confirmarunt firmissimisque

p) in d. de specul. Saxon. fonte iur. Saxon. communis. Altorf. 1718.

q) Ernest. Ioa. de Westphalen in d. de orig. et fontib. iur. Lubec. §. 4. Adde Ioa. Kollii comparationem iuris Lubec. cum iur. dinu. Saxon. et Rom. Hamburg. 1586. euulgatam, P. 1. t. 6. a. 36. P. 2. t. 12. a. 76. et alibi.

r) Mich. Richey histor. statuar. Hamburg. c. 2. §. 3.

s) Io. Gottl. Gonne de commentio specul. Suen.

t) in libro, quem inscripsit: Speculi Suen. et praeserim iur. feud. Alam. non vsus modernus, Kilon. 1723. 4.

misque argumentis stabilierunt, <sup>u)</sup> quibus et nos lubenter suffragamur. Multa posterioribus legibus esse mutata, quaedam usu contrario sublata, non inficiamur, sed tantum abest, ut ideo cetera iura tamquam obsoleta sint contemnenda, ut potius ea hodie adhuc praesumantur esse recepta. <sup>v)</sup> Quod si tam egregia ex speculis in nos redundant commoda, magnam habere debemus gratiam omnibus, qui in iis poliendis magisque illustrandis versati sunt, imprimis Gaertnero, Bergero, Ludouici et aliis, qui necessariis doctrinae copiis instructi ad hoc opus accesserunt. <sup>w)</sup> Praedicarem non quidem dignis satis, piis tamen laudibus venerandi senis Illustr. Christ. Vlr. Grupenii merita, qui incredibilem operam in iure prouinciali Saxonum emendendo atque explanando posuit, nisi huius viri illustris doctrina omnes laudes longe superaret. Optamus potius, ut Deus optimus hoc ornamentum Germaniae diu adhuc conferuet saluum, quo nobis aliquando contingat, laetos ex diuturna industria percipere fructus!

*Evoluenda imprimis antiqua prouinciarum et urbium iura.*

Sed iam cursum institutum diligenter persequamur. Hic nobis obueniunt varia, quae in prouinciis et urbibus obseruata sunt, iura, omni studio digna. Magni omnino faciendum est notissi-

<sup>u)</sup> Perill. Christian. L. B. de Nettelbla in praefar. ad Lundii dissertat. §. 14 seqq. et laudatus de Senckenberg in den Gedanken von dem iberzeit lebhaften Gebrauch des uralten Teutschen Rechts c. 1. §. 32. et c. 3. §. 9 seqq.

<sup>v)</sup> Aug. a Leyser in d. quae collationem praeci iur. Sax. cum iur. Roman. exhibet, §. 5. Eandem sententiam propugnarunt Io. Godofr. Bauer in progr. quod anno 1742. in honorem Carol. Frid. Menfieri scripsit, et Io. Godofr. Krautius in progr.

praemisso orationi, qua 1722. Vitemb. profess. iur. Saxon. auspiciatus est.

<sup>w)</sup> Dolendum est maxime, quod laudatus Cramerus commentarium, quem in progr. antea adducto p. 40 seqq. in speculum Saxonicum meditatatus est, non perfecit. Speculi Suetici emendatoris a V. C. Hieron. de Lahr perficiendi, spem fecit Senckenbergius in libello antea laudato c. 4. quae ut mox impletur, ex animo optamus.

B

notissimum ius Weichbildicum, ex variis consuetudinibus prudentumque sententiis conflatum, quo si careremus, multa, quae tamen scire omnium interest, plane ignoraremus.<sup>x)</sup> Ius caesareum, quod Perill. de Senckenberg acceptum referimus,<sup>y)</sup> et vilitatem et voluptatem rerum Germanicarum amantioribus affert, cum in eo de virtutibus testium, debitorum additione, antiqua praescriptione, variisque habendi iudicii modis multa praeclare exponantur. Sed in his diligens praescaurum rerum amator non acquiescit, sed citato gradu in curriculo animose procedit, omnes prouinciarum codices perlustrat inque iis attente contemplandis oculos animumque pascit. Nulla terra est tam remota tamque horrida, quam non peragret, nullum oppidum adeo obscurum, quod non ingrediatur, nec ipsas villas rusticanas eum inire pudet. Curiosis oculis statuta conuentus Obfialbomici, iura Bauariae<sup>z)</sup> et Austriae antiqua, vetustos Sufarensum,<sup>a)</sup> Lubecensum<sup>b)</sup> aliorumque codices aspicit et cupida mente aperit, vt eo certius intelligat, quae iura inter se conueniant, quae e contrario inter se dissentiant. Ita paruo labore iura, quibus olim vniuersa regebatur Germania, reperiet. Recte enim permulti statuerunt, id, in quo specula variaque prouinciarum iura consentiunt, ius vniuersale, quod tantopere quaerimus, efficere,<sup>c)</sup> etsi nonnullarum vrbium sanctiones ab eodem recedunt. In his vero venerandae antiquitatis reliquiis imaginem

x) Commendo etiam atque etiam Ios. Theod. Lichtensteini *observat. de iure Weichbild. Saxon. et sac. Frid. Ludouici praefat. eidem praemissam.*

y) in *corpor. iur. Germ. ex aetno medio T. 1. p. 1. p. 19 seqq.*

z) Grata mente omnis posteritas colet Io. Heumann eximia in hoc ius merita, quod in *opuscul. p. 184 seqq.* luculento commentario illustrauit.

a) Noti facti sunt praestantissimorum virorum Haerberlini et Emminghausii labores, de quibus ideo nihil amplius dicemus.

b) Non possum hic omittere praecaras obseruationes, quas nuper in Illustr. Brokesii *select. observat. forens. p. 627 seqq.* de prima huius iuris lingua lubenter legi.

c) V. C. Frid. Henr. Mylius in *d. de genuin. iur. German. vniuers. bodier. priuat. civil. conceptu §. 5 seqq.*

nem prisce genii vere et fideliter expressam videmus, nullo adhuc fuco adpersam. Exemplo esse possunt vetusta statuta Coloniensium, quae eo erunt lectu iucundiora, quo magis sinceros veterum mores exhibent.<sup>d)</sup>

*Nec recentiores sanctiones erunt negligendae.*

Postquam ius Romanum in regiones Germaniae varias irrepsit, seseque in animos eorum, quibus cura legum erat credita, insinuauit, a prisce moribus nostrates magis magisque receperunt, et mirum in modum res dissimillimas inter se confuderunt.<sup>e)</sup> Saepè pio affectus dolore miseram deplorauit fortunam Germaniae, quae tot tanque grauiam incommoda ex horribili iurium diuersorum commixtione perpeffa est. Nec id aliter fieri poterat, cum homines a pueritia omnem patriae amorem abiicerent, et sola iura peregrina edocti, nulla status publici vel priuati notitia tincti, alienos mores insanis laudibus extollerent, atque ipsi in omnibus, quae faciebant, imitarentur. Inde orta est miserabilis negotiorum iuriumque perturbatio, de qua grauiter conquesti sunt omnes, qui patriam vere amant.<sup>f)</sup> Jam turpiter instituta maiorum deprauata sordibusque peregrinis inquinata sunt, quod sexcentis probari possèt exemplis, nisi tristis eorum recordatio nos nimis percelleret. Sufficiat vnicum, quod ex ordinatione Tyrolensi de anno 1574 repetimus. Ibi diuersa rerum praescriptio temporaque eidem obtinendae necessaria referuntur tam inepte, vt nihil insulsius concipi queat. Etenim serio statuitur, vt res immobiles decem annis et vno die, bona hereditaria triginta annis, ius venandi, piscandi variaequè

B 2

serui-

d) Ita p. 14. requirunt, vt is, qui testamentum facere cupit, corpore adhuc bene valeat. Consultam iurisdictio p. 110. antiquo more describitur.

e) In legib. commentus Obstaibom. an-

no 1323. rogatis iam §. 15. praecipitur, vt secundum leges et canones succedatur.

f) Vide in primis Westphalenii comment. de distinct. pract. rar. in iur. priuar. Rom. Germ. §. 35.

seruitutes viginti annis praescribantur. Pariter ius prouinciale Bauaricum de anno 1616, et prouinciale Wurtembergicum per pauca ex iure prisco retinuerunt, pleraque vero ex legibus Romanis assumserunt. Hic non possum non laudare nationes antiqui iuris tenaciores, quales inprimis complectitur Saxonia inferior, quod omnes, qui varia statutorum genera a duumiris Pufendorffio<sup>g)</sup> et Dreyero<sup>h)</sup> euulgata attente satis legerunt, certissime confitebantur, in quibus passim clara antiquitatis vestigia cernere licet. Magna igitur cautio in iis interpretandis est adhibenda, vt accurate singula capita discernantur, atque eorum sententiae ex fontibus, vnde fluxerunt, ducantur.<sup>i)</sup> Qui enim hodie carmen auorum memoria crebro decantatum, statuta ex iure communi esse interpretanda, repetere non dubitaret, nae is dignus esset, qui sibilis puerorum exploderetur. Vti est ridiculum instituta Teutonum praeceptis Vlpiani aestimare, ita pariter erit absolum decreta iuris Romani ex Repkoviï placitis iudicare. Viterur talis confusio, et si quando occurrit argumentum aliquod ex diversis iuribus constat, ita explicetur, vt quam minimum a doctrina, in qua sedem occupat, aberretur. Praestant in hoc genere doctae valde obseruationes a viris eruditissimis Woelckero, Wichtio et Orthio nobis suppeditatae, qui bono exemplo hanc viam sunt persecuti, vt ex historia, antiquitatibus, diplomatibus et aliis, statutis paullo obscurioribus lumen accenderent, quorum studia eximia vt  
alii

g) Lege append. statutor. in praestantissimis obseruat. iur. vniuers. v. c. statut. Keding. T. I. p. 153, vbi bona numquam ad ascendentes redire dicuntur, es sirtbt Fein Gntz jurische, et alia p. 243. Iura Wurtembergica, Frisica et Hadelensia antiquitatis plena sunt.

h) Barbarus sit oportet, qui huius viri ad patriam ornandam nati, illustrata me-

rita ignorat, cuius collectio variarum rer. ad antiquitat. et ius German pertinentium, cum ob egregias argumentorum non vulgarium expositiones, tum ob adiecta statuta, omnibus vehementer commendamus.

i) Christoph. Ludou. Kochii prolus. de fatis stud. iur. priuat. §. 15 seqq.

alii pari doctrina imitentur, valde est oprabile. <sup>k)</sup> In quo labore vtiliter perficiendo se melius gerunt ii, qui differentias iuris Germanici et Romani, quam qui eorundem consensionem exponunt, cum illi negotia diuersa recte discernant, hi vero turpiter confundant. <sup>l)</sup>

*Inuestigentur mores antiqui.*

Iam ad alium fontem pergimus, satis quidem vberem, vnde omnis fere Germania magnam institutorum copiam hausisse videtur. Nulla facile gens tanta religione mores antiquos suscepit, quanta eos custodierunt Germani. Namque a prima aetate auitas consuetudines a parentibus fideliter traditas, cupida mente arripiebant, atque ad easdem vitam componebant. Has legibus nimis subtiliter saepe scriptis anteponebant, et vti omnibus, ita inprimis iudicibus probe obseruandas esse putabant. Hinc crebram mentionem faciunt veterum morum antiqui codices, quod vel Weichbildi Saxonici exemplo confirmamus, <sup>m)</sup> et licet iura saepius scripta contineant, amabile tamen consuetudinum nomen prae se ferunt. <sup>n)</sup> Quod eo minus videretur admirandum, quo plura iura solis moribus diligenter propagatis seruata, in plerisque prouinciis obtinuerunt, vti ius hagenstolziatus, mortuarium, retractus, varia censuum genera, opificum et rusticorum consuetudines, aliaque fere innumera. Duplex vero eorum genus animaduertimus, vnum, quod in vniuersa inualuit Germania, alterum, quod cuius natio-

B 3

ni


k) Si Menius hanc regulam in explicando iure Lubeeensi obseruasset, et varios errores euitasset, et operam magis fructuosam praestitisset.

l) Exemplo est Io. Otton. Taboris *d. collatio iur. Rom. et Francofurt.* Scriptores de differentiis iur. Rom. et Germ. in primis statutar. diligenter recenset West-

phalen in *exercit. de iur. Rom. in del. et obligandi diuers. ras. in foris apud Rom. et Germ. p. 12* seqq.

m) *Art. 1.*

n) Dreyer *de var. codic. iur. Germ. denominat. p. 12* seqq. Adde Senckenbergii *d. de iur. Hassor. antiquo in adiunct. p. 2* seqq.



ni fuit proprium. °) Virumque vehementer adamatum magnorumque principum auctoritate confirmatum, quin quadam sanctione munitum est, ut qui auitas consuetudines violaret, novas vero et perniciosas induceret, ultimo supplicio afficeretur. Liceat hic nobis quaedam duntaxat tamquam iucundos flosculos adspargere. In antiquis, quae supra commendauimus, vrbis Sofariae statutis, tota ciuitas communi voce confirmat, se instituta vetera ab omni iniuria acriter esse defensuram. °) Quodsi olim dubitatio incideret, quomodo negotium aliquod recte esset tractandum, ad antiquam consuetudinem tamquam certissimam normam respicere consueuerant, °) a qua nec iudici, nec litigantibus recedere liceret. Hinc in legibus adhuc recentioribus iudices consuetudines bonas, in litibus apte dirimendis sequi iubentur, °) a quibus tamen mores iniqui atque inhonesti caute secernendi sunt, quos approbare nefas habetur. Iuuabit igitur scrutari instituta a maioribus recepta omni, qua decet, cura, partim ut primas origines variorum, quae hodierno vsu frequentantur, iurium perspiciamus, partim ut legibus, quae mores antiquos iuri peregrino anteferunt, recte obsequamur. °)

#### *Quaedam adiumenta demuo commendantur.*

Concedant hoc nobis humani lectores, ut, quae alii iam commendarunt, adiumenta, noua commendatione repetamus, vtpote

o) Docte hoc probauit Grupenius in *disceptat. forensi*. p. 762 seq. cum quo coniungi poterunt, quae Dreyerus de *usu iur. Anglo-Saxon.* p. 73 seqq. obseruauit.

p) *statut. Sufarens.* ex recens. Emminghauitii p. 136.

q) *Westphalen monument.* T. 2. p. 46. Senckenberg. *corp. iur. Germ. excirar.* T. 1. p. 2. p. 15. et p. 54 seqq.

r) *ordinat. camerat. de anno 1555.* P. 1. t. 13. §. 1. et *ordin. iud. imp. aul.* T. 1. §. 15. *Constitut. Holsat. de anno 1708.* ita san-

cit: was aber das Herzogthum Holsstein betrifft, sollen in denen Sachen vermöge der L. G. Ordnung die promulgirte Constitutiones und Verordnungen, und demnachst der altralte Gebrauch und Gewohnheit, so weit selbe denen Reichs- Constitutionen nicht zuwider und erweislich gemacht, allegiret; in deren Ermangelung aber das alte Sachsenrecht nebst dem Sächsichen angezogen werden.

s) *Calpar. Henr. Horn de praerogatiua mor. German. in concursu cum legib. recept.*



vt pote quae ob insignem vilitatem digne satis laudari haud possunt. Ita visum est doctissimis semper hominibus, magnam antiquitatis et historiae notitiam requiri ad leges docte interpretandas, sine qua in perpetuis quis errat tenebris. Hanc viam ingressi sunt omnes praestantis doctrinae viri, hanc et ipsi sumus secuti, et verae iurisprudentiae studiosis fideliter monstrabimus. Qua in re etsi multa cum laude versati sunt Conringius, Hoffmannus, Brunquellus, Heineccius et alii, multa tamen posterorum industriae relicta sunt. Interest omnino accurate tenere auctores, a quibus iura condita vel collecta sunt, tempus, quo proposita fuerunt, definire certius, gentem, cui praescripta sunt, nosse penitus, varias vicissitudines attente considerare, et quomodo collectiones legum formatae, auctae et mutatae fuerint, studiose obseruare. \*) Sed permulta adhuc cum de auctoribus, tum de temporibus conditorum iurium feruntur valde incerta magnisque difficultatibus inuoluta, vt de glossis malbergicis, de compilatoribus legis Alamannicae, Frisiorum et Thuringorum, de tempore, quo pleraeque leges fuerunt promulgatae, imprimis si historiam iurium prouincialium et statutariorum spectes, quae, licet doctissima cura V. C. Gortl. Riccii eleganter ornata et polita sit, \*\*) varios tamen adhuc habet recessus, in quos nemo penetrauit. Non me fugit, multos hoc laudis genere praestitisse, v) sed quis omnium rerum est ita ignarus, vt nos magna adhuc scientiae maxime necessariae inopia laborare nesciat? Licet igitur omnibus, qui otio et subsidiis abundant, hic ingenium et diligentiam exercere, modo hanc religiose seruent regulam, vt vbique ipsos fontes latorum legum

\*) Egregium specimen inuandi huius studii edidit Senckenbergius in *visionib. diuers. de collectionib. leg. Germ.*

\*\*) Cui non est dicta eius historia statutorum? Ipse tamen in *praefat. §. 2.* multa eidem deesse, ingenue profitetur.

v) v. c. Westphalenium, Senckenbergium, Koelerum, Richeyum, qui statutorum Lubecensium, Francofurtensium, Noribergensium et Hamburgensium historiam eleganter descripserunt.

gum aperiunt, earum initia, progressus atque diuersa ordine enarrant, et quomodo ius prius vsu contrario vel legibus consecutis sublatum sit, fideliter exponant. Quae commoda ex antiquitatum studio in ius Germanicum redundant, permulti dudum copiosius ostenderunt <sup>w)</sup> recteque monuerunt, non quidem minutias anxia industria consecutandas, nihil tamen adeo esse leue et minutum, vt non aliquantulum in explicandis legibus proficit. Gratiam igitur habemus magnam viro iuris consultissimo Io. Vlr. Christoph. Tresenreutero, qui ex optimis scriptoribus vtilia quaeuis decerpit docteq; collegit. <sup>x)</sup> Est valde optabile, vt tandem Germania eo thesauro, quem multi perite delineauerunt, <sup>y)</sup> exornaretur, in quo libelli in primis rariores, quos saepe frustra in magnis bibliothecis quaesueris, vel argumentorum exquisitorum doctae expositiones vtiliter coniungerentur. Sed quis id hodie facile bibliopolis, magis lucro priuato, quam commodis publicis vbique fere intentis, persuadeat? Imitentur Batauorum praeclara studia optimumque quaestum esse de republica bene mereri, certissime credant. Nos vero, qui his diuitiis destitui-mur, diligenter omnes perlustremus scriptores, qui res Germanorum vetustas sagaci ingenio scrutati sunt, et quicquid monumentorum pictorum, sculptorum, numismatum et lapidum superest, hoc cupidis animis contemplemur, vt artem nostram quauis ratione locupletemus. <sup>z)</sup> De vsu artis diplomaticae post tot eximiorum virorum commendationes multa dicere nolim, <sup>a)</sup> cum

<sup>w)</sup> in primis laudatus Cramerus in *progr. supra commutato p. 17* seqq.

<sup>x)</sup> in *antiquitatib. German. Goering.* anno 1751 editis.

<sup>y)</sup> Nota sunt Meindersii, Treueri, Fritschii et aliorum consilia. Praestat omnibus Rud. Aug. Noltenii *conspect. thesaur. antiquit. German. Lips. 1735.* 4. editus, vbi quaedam ab aliis omnia sup-

plentur, quaedam nimis trita reiciuntur.

<sup>z)</sup> Legantur Gruperii *antiquitat. ad illustrand. ius Saxon. et Svec. tam prouinc. quam feudale*, quibus merito addimus Illustr. Carol. Ferd. Hommelii *iurisprudent. numismatib. illustratam.*

<sup>a)</sup> Edm Martene in *praefat. nouo anecdot. thesaur. praemissa, Westphalen in praef.*

is per se pateat perque vniuersam iurisprudentiam diffundatur. Praeclarum olim consilium conficiendae bibliothecae diplomaticae inierat Christian. Gottl. Buderus, <sup>b)</sup> quod si perfecisset, multum certe adiumenti attulisset nostrae iurisprudentiae. Tanta enim exstat diplomatum omnis fere generis copia, vt non argumenta tantum illustria, verum etiam tenuia eorundem fide confirmari, ritus vero publici et priuati ex iis optime erui possint. Nemo igitur mirabitur, quod omnes fere harum rerum arbitri iurisprudentiam ex diplomatibus auctam pulcreque instructam desiderauerint, quae vniuersae Germaniae foret et honorifica, et maxime fructuosa. Sed mittamus haecce optata aliudque adiumentum constituamus.

*Mores gentium exterarum cum nostris comparentur.*

Iam non inuiti ad aliud subsidium deducimur, quod etsi ab aliis pariter est animaduersum, latius tamen amplificare clariorque quasi communi subicere conspectui, non erit inutile. Infinitas gentes olim complectebatur Germania, variis rerum-publicarum formis distinctas, quae diuersis exagitatae fati, relicta patria, in terris vicinis nouas sedes et quaesiuerunt, et constituerunt. Hae saepe solum duntaxat, non mores mutant, atque instituta priscae aetatis constanter retinuerunt, vt ideo nostra non parum intersit earum consuetudines cum nostris diligenter comparare, partim vt amicam consensionem populorum in obseruandis ritibus probemus, partim vt inde aliquod lumen nostris rebus accendamus. Ita mihi confidenter persuadeo, omnes, qui ad septentriones spectant, gentes de contra-

ctibus,

praefat. ad T. 2. monument. inedit. p. 7.  
Io. Petr. a Ludewig in praefat. reliq. ma-  
nuscript. praemisit. Christian. Herr Eck-  
hardus in introduct. ad rem diplomat. in  
prooem. §. 18 seq.

b) de quo vide elegantem eius *epistol.*  
insertam opuscul. quae select. iur. publ.  
fend. eccles. et Germ. argumenta expo-  
nunt p. 678 seqq.

tibus, variis hominum ordinibus, de potestate patria et dominica, de communione bonorum inter coniuges, <sup>c)</sup> de emancipatione, filiarum elocatione et dotatione, <sup>d)</sup> de administranda recteque obeunda tutela, <sup>e)</sup> de hereditate adeunda et diuidenda, de diuersis dominii acquirendi et tradendi modis, de modis constituti iudicii, de probationum variis generibus, <sup>f)</sup> de testium virtutibus, <sup>g)</sup> de causis rite in iudicio persequendis et decidendis vnam eandemque sententiam fouisse vsuque communi comprobasse. <sup>h)</sup> Errant igitur turpiterque labuntur, qui iura in speculis tradita tam arctis circumscribunt cancellis, vt ea intra Saxonum et Francorum terras coerceant, cum eadem per tot regiones vagata, et communi omnium, quas antiquitas Celta- rum Scytharumque nomine compellauit, gentium consensu recepta fuerint. Quisquis igitur hasce collectiones sibi sumit explicandas, is animo valde attento gentium vicinarum mores consideret, sibi que certe persuadeat, se ex hoc labore vberimos fructus esse percepturum. Iuris Saxonici interpres inprimis Suecorum, Danorum <sup>i)</sup> Polonorum, quin Russorum consuetudines <sup>k)</sup> respiciat, in iure vero Alamannorum peruestigando Gallorum, Belgarum, Batauorum, Hungarorum, quin Hispanorum codices euoluat, quo artificio si recte vti norit, multa

c) Lundii *dissertat. select.* p. 192.

d) De vxorum emtione aliisque conferantur Io. Christoph. Cleffelii *antiquitat. Germanor.* potissimum *septemtrional.* c. 1. §. 6 *segg.*

e) Ita Pufendorfus *T. 1. obs.* 47. confirmationem Gallorum, Belgarum et aliorum in tutela fructuaria ostendit.

f) Io. Loccenius in *antiquitat. Sueo-Gorbic.* L. 2. c. 6. ritum valde antiquum inuestigandi res furtiuas ex moribus Suecicis illustrat.

g) Dreyer. in *comment. de ospitalitat. requisit.* in *testib. habilib.* §. 15 *segg.*

h) Dreyer. *laudatus de usu iur. Anglo-Saxon.* p. 91 *segg.*

i) Doct. Bernh. Moelmannus in *select. iur. Saxon. feud. et publ. de gauerbinat.* p. 15 *segg.* nexum inter vetus ius Saxon. et Danicum ostendit.

k) Senckenbergius in *den Gedanken von dem iederzeit lebhaften Gebrauch des Teutsch. Rechts* c. 3. §. 3. obseruat, et gentium Tartaricarum mores nostro studio illustrando esse aptos.

multa egregia patefaciet <sup>l)</sup> occulta in lucem proferet, alia perperam asserta corriget erroresque inueteratos coarguet. Ita plerique tamquam friuolam opinionem reprehendunt eam, quae olim morgengabam pro virginitate erepta datam fuisse statuit, etsi eandem fortiter propugnarunt doctissimi viri Hoffmannus <sup>m)</sup> et Heumannus. <sup>n)</sup> Sed qui ita sentiunt, velim statuta quarundam urbium Helvetiae inspiciant, quae virgini folium castae, non vero corruptae morgengabam adiudicant. <sup>o)</sup>

*Diversae verborum significationes exquirantur.*

Non erit a proposito alienum nunc ad studium linguarum, quibus nostrae leges perscriptae sunt, paullisper diuertere nouoque praesidio nostram artem confirmare. Ac primo quidem peruestigandae sunt verborum origines, quarum cognitio inueniendis significationibus mirifice inseruit. <sup>p)</sup> Est igitur repetenda gentium antiquissimarum memoria sermoque Longobardorum, Francorum, Saxonum aliorumque multa cura inuestigandus. <sup>q)</sup> Qua in re egregium adiumentum nobis praestant glossaria Anglo - Saxonica <sup>r)</sup> Celtica, Francica, Alamannica, Gothica, Suecica, Danica, atque ex nostris docta Wachteri, Struuii et Haltausii opera. Multa deprauauit librariorum inscitia, quae integritati pristinae merito sunt restituenda, quod vel vnicum vocabulum *Sendbarleute* turpiter

C 2

in

l) Ritus legitimandi per pallium luculenter intelligitur ex iis, quae Loccenius *L. 2. c. 24. de bodierna consecratione et benedictione* refert.

m) in *observation.* p. 99.

n) in *opuscul.* p. 196. vbi monet, apud Bauaros viduae non dari morgengabam, sed manus sponsalium esse *Vertrauung*.

o) Collegit ea Io. Iac. Leuius in *dem*

*Eydenosisch. Stadt- und Landesrecht* P. 2. t. 12. §. 8.

p) videantur *Gundlingian.* P. 7. p. 169. et Eccardi *hisor. stud. etymolog. linguae German.*

q) Branquell. de *usu linguae German.* veter. in *studio iur. feud. Longobard.*

r) quae per diligenter recenset Dreyer de *usu iur. Angl. Sax.* p. 208 *segg.* Adde Heumannii *opuscula* p. 481 — 707.

in *Semperleute* mutatum, non obscure declarat.<sup>1)</sup> Quales turbas excitauerit verbum *Rauchhuhn*, inter omnes constat, cum non defuerint, qui has gallinas *Kohan*, *rauhe Huhner*, id est pullos nondum coctos plumisque nudatos appellandas esse putarent. Sed recte obseruauit Ampl. Riccius,<sup>2)</sup> easdem a foco vel area, cui tamquam onus reale inhaeserunt, nomen accepisse, ideoque in diplomatibus pullos de areis dici. Hic non possum non rogare omnes huic studio deditos, vt in primis verborum in linguam aliam conuersiones respiciant, et inde aliquid lucis ad eruendos significatus repetant. Liceat nobis commoda vti occasione, paucisque exemplis huius artificii vsum comprobare. Verbum *ehtedingh* in charta Ernesti ducis Brunsvicensis vrbi Hameleni anno 1335 data, transfertur per plebiscitum.<sup>3)</sup> In priuilegio quodam Ottonis III de anno 1209 *Witvogt* aduocatus ciuitatis dicitur.<sup>4)</sup> In statuti *Susatensis* proscriptus *Frethelos* nominatur.<sup>5)</sup> Interdum ipsi scribae verba nota peregrinis adscripserunt, cuiusmodi quid in iisdem statutis accidit, vbi quis aduocatos verbo patrio *Vorspreken* clarius designare voluit.<sup>6)</sup> Consideret igitur, quisquis maiores progressus facere cupit, non singula modo verba, ne vocula quidem neglecta, verum etiam ipsam dictionem variasque dicendi formulas, praesertim sollemnes, etsi vel vulgares et quotidiano vsu frequentatae persaepe neruosam exprimunt elegantiam. Amabant Germani non minus ac olim Romani in ritibus variisque negotiis conceptas verborum formulas easque stricte obseruare cupiebant, quales potissimum

1) Philipp. Jac. Lambacher *de actat. iur. quod vulgo vocatur specul. Suen.* p. 12.

2) in *spicileg. iur. German. ad Engauium* p. 156 *segg.*

3) in *Pufendorf. obseruat. T. 2. in ap. pend.* p. 273.

4) apud eundem *loc. cit.* p. 155.

5) in *edit. Haebert.* p. 25.

6) *ibid.* p. 29.

mum in vindicandis dominiis,<sup>1)</sup> atque in litibus coram iudice agi-  
 randis, quin ipso sententiarum pronuntiandarum modo sollicite  
 persequantur.<sup>2)</sup> Nervosam vero vim facile ostendunt omnia  
 statutorum volumina, ex quibus quasdam locutiones huc trans-  
 ferre non erit incommodum. Sic ii, qui sponsalia ineunt, di-  
 cuntur *Treue nehmen und geben.*<sup>3)</sup> Matrimonium cum morte  
 soluitur, *das Bette brechen,*<sup>4)</sup> *den Schoß brechen,* iurisdictioni  
 subesse, *zu Geboth und Verboth sitzen*<sup>5)</sup> dicunt, quae di-  
 ctiones multum habent naturalis simplicitatis veraeque pulcri-  
 tudinis. Iniquo hodie animo ferimus genus dicendi con-  
 fustum valdeque commixtum, quod passim in foris dominatur,  
 et quod in primis a iuris Romani magistris est introductum.  
 Quem igitur non oblet veteris sermonis puritas, quam nul-  
 lis labeculis contaminatam repraesentant libri iudiciarii, is in  
 primis, quem nobis impertit Senckenbergii liberalitas?<sup>6)</sup>  
 Hanc posteris imitandam et poliendam merito relinquere de-  
 bemus. Plura huc pertinentia afferre prohibet instituti breui-  
 tas, cuius quidem memores celeriter ad ea, quae restant, pro-  
 grediamur.

*Commendantur scriptores pragmatici.*

Nimis diu quibusdam immorati fuisse videbimur rebus re-  
 conditis et ab usu vitae praesentis eorum quidem opinione lon-  
 ge remotis. Quorum odium mitigatum iri speramus, dum  
 nunc non simulatas, sed veras laudes pragmaticis scriptoribus  
 attribuimus lubenterque confirmamus, nos illustra merita vi-  
 rorum

C 3

rorum

1) *ord. iudicior. iur. provinc. c. 19.* Ad de Marculfi formulas.

2) Meindersius in *d. de iudic. centenar. p. 152 seqq.* Commendamus maximopere hic Eckhardi *comment. de interrogacion. in iure apud Germani.*

a) *Statut. Colon. p. 74.*

b) *Ead. p. 24.*

c) *ibid. p. 53.*

d) *in corpor. iur. Germ. T. 1. p. 2.*

rorum splendidis muneribus condecoratorum cauffarumque scienter decidendarum peritorum magna semper coluisse obseruantia. Ipsos scabinos veterum magni facimus, inprimis Magdeburgenses, qui lites difficiles multisque nodis implicitas tam perite finierunt, vt eorum acumen, ingenium et aequitatem faepe miratus sim, quorum responsa ideo nostrae scientiae multum prodesse, certissime exploratum habeo. <sup>e)</sup> Huc vero erunt referendi omnes, qui sententias supremorum, quibus Germania splendet, tribunalium collegerunt, vel decisiones curiarum illustrium et collegiorum, quibus de iure respondere concessum est, congesterunt aptoque ordine disposuerunt, in quibus Gailius, Mynfingerus, Deckherrus, Ludolfus, Berlichius, Wehnerus, Besoldus, Lynckerus, Carpzouius, Wernherus, Hornius, Bergerus, Leyserus, Boehmerus, Heineccius, de Cramer, Pütterus, Strubenius et Brockesius maxime eminent, nomina satis magna, quae nullo amplius egent praeconio. <sup>f)</sup> Quorum industria inueteratam consuetudinis vim, atque antiquam vsus forensis potestatem perspicue demonstrat, etsi negandum non est, non omnia eodem studio parique doctrina esse elaborata, quin nonnulla leuibz erroribus haud esse vacua. Multi profecto opinionibus praeiudicatis decepti, veritatem non satis diligenter ponderarunt, atque supina negligentia in praeceptis maiorum acquieuerunt, de quibus si quis alius, fideliter et docte exposuit Gribnerus. <sup>g)</sup> Ceterum scriptores alios, qui controuersias illustrium personarum cum laude et deciderunt, et descripserunt, in

<sup>e)</sup> Legat quis ea, quae Zobelius iur. prou. Sax. subiunxit v. c. L. 1. c. 1. d. 8. de iurisdictione in ludos vetitos, d. 11. de argumentis statutorum, d. 28. de dubiis instrumentis recte interpretandis, de officiis scabinorum c. 2. d. 1. de furto manifesto P. 3. c. 6. d. 1. et facile nobis assentietur.

<sup>f)</sup> Eorum vsum iam laudauit Illustr. Pütterus in *encyclopaed. iur.* §. 135. Ill. Hommelii rhapsodias, cum se ipsas laudent, laudare nolumus.

<sup>g)</sup> in *eximia d. de obseruant. collegior. iuridicor.*



in praesenti nominare vix erit necessarium, cum iis in iure publico commodior locus assignari solet.

*Scriptores recentiores adducuntur.*

Sed ne quis existimet, nos tamquam magistros nimis feueros aliorum tantum studia incitare velle, iucunda memoria laudes eorum, qui de iure patrio praeclare sunt meriti, breuiter repetamus, vt et gratum animum illustribus viris testificemur, et alios ad similes labores instigemus. Est hic honos habendus Georg. Beyero, qui olim academiam Vitembergensem ornauit, vt primo ponatur loco, cum rem arduam multisque difficultatibus circumseptam forti animo aggressus, praeclare perfecerit. Multa antea in tenebris iacencia in lucem produxit, alia vaga et dispersa collegit vinculisque amicis collegauit elogiumque valde modestum suo labori dedit, vt delineatione artificiosa peritiores magistros ad aedificium solidius et splendidius ornate exstruendum inuitaret. Nihil quidem antiquis, plus vero iusto speculis tribuit, nonnullaque aliena immisecuit, magnam nihilominus gratiam ab vniuersis, qui arti nostrae fauent, inuit gloriamque immortalem sibi peperit. Non multo post secutus est Celeberr. Io. Frid. Polacus, atque ex antiquissimis Germanorum legibus systema aliquod composuit longe fructuosissimum, cuius exemplo vti quis iura media composuisset! Postea laetam spem perficiendae iurisprudentiae Germanicae concitauit Perill. de Senkenberg multaque arte delineauit ius antiquum, medium et nouum, quem etsi grauissimorum negotiorum multitudo ab hoc opere auocauit, rogare tamen precibus honestis, vt illud perficiat communeque desiderium expleat, non erit impium. Praeclaram quoque operam eisdem impendit vir summus Heineccius, qui vti erat omnibus doctrinae copiis ornatissimus, ita etiam multiplicem scientiam ingeniiue elegantiam omnibus, qui has litteras aestimare norunt,



runt, luculenter probauit, dum multa distinctius, vberius et ornatus docuit, eaque ex ipsis fontibus, non ex turbatis riuulis haufit. Quid Engauius praefiterit, nemo ignorat, cui imprimis ius hodiernum curae cordique fuit. De iis, qui nostra aetate hanc prouinciam cum laude administrarunt, multa dicere superfedeo, cum nemo adeo rerum nostrarum expers fit, vt viro- rum, quos vehementer amo, Pütteri, Eifenharti, Eftoris et Selchowii, de iure nostro magna profecto merita nefciat, nemo tam inuidus, quin ea fufpiciat.<sup>h)</sup> Vigebit quoque perpetuo gloria viri, cuius memoria mihi femper erit facrofancta, magni Heumannii, qui cum multis beneficiis fibi deuinxit Germaniam, tum eo maxime, quod initia iuris politiae eleganter tradiderit cauffasque nostrarum legum perdiligenter Montefcuffii more inueftigauerit. Iam tamquam laetus augur iucundam fortunam praedico Germaniae, nimis diu exoptantis perfectum iuris systema, quod nunc componere non erit adeo difficile, fi fubfidia fuperius a nobis pofita magis aucta confirmataque fuerint.<sup>i)</sup> Sed, ne defideris eorum, qui huius operis formam propius intueri volunt, deeffe videamur, agedum eius imaginem paucis adumbrabimus.

### *Systema iuris Germanici delineatur.*

Prima huius corporis dos eft, vt omnia cuiusuis aetatis iura apto ordine coniuncta exque ipsis fontibus haufita complectatur, quo quis vniuerfum domesticae iurisprudentiae ambitum vno quasi intuitu cognofcat. In ipfa vero expofitione vbique dominabi-

<sup>h)</sup> Ipsos laudatorum fcriptorum libros hoc loco recensere non eft noftrum. Adcantur Eifenharti *inftitut. hiftor. iur. litterar.* c. 9. §. 8. et de Selchow in *praefar. ad inftitut. iurisprud. German.*

<sup>i)</sup> Lectu dignum eft *progr. Christoph. Io. Conr. Engelbrechtii de cauff. impedit. bacrenus felicitis fuffeffus tentat. in German. emendat. adminiftrar. iuftitiae.* Adde Heumannii *exercitat. V. 2. p. 22. feqq.* et laudati Myllii *d. excitat. c. 2.*

minabitur fides ingenua, doctrina liberalis, accurata denique turbatissimarum rerum diiudicatio, ita vt nihil assumatur, nisi legis auctoritate munitum, vel firmis argumentis suffultum sit. Diligenti quoque cura diuersa tempora variaequae nationes discernentur, vagaeque descriptiones cauebuntur. Oportet hic prudenter fines, regere atque ab iis, quae ad aliam doctrinam pertinent, prorsus abstinere, ideoque mentem ab argumentis iuris publici vel feudalis propriis auocare. Peregrina verba, quae alienas notiones exprimunt, caute erunt fugienda, quod non satis perpenderit videntur, qui de imperio mero et mixto, de auctoritate tutorum et consensu curatorum, de contractibus bonae fidei et stricti iuris sermonem minime congruum instituerunt. Arceantur ab eiusmodi opere omnia, quae nostram artem turbant erroribusque nefandis permiscunt, iniiciantur contra acutae verborum explicationes, receptae iuris regulae, inueteratae paroeniae, \*) loci selecti ex diplomatibus, probatis scriptoribus ipsisque legibus in primis recentioribus desumpti, hisque ingenue vsus fori subiciantur. Ad leuandam huius laboris molestiam haud parum faceret talis iurium bibliotheca, qualem iam nonnulli meditati sunt. †) Non inuidemus Struuiio, Budero, Lipenio et aliis eam, quam sibi recensendis scriptoribus compararunt, laudem, sed hi viri aliud plane egerunt, nec tantam, quantum requiritur, diligentiam huic studio tribuerunt. Multa profecto hac in bibliotheca erunt exponenda, vt exacta notitia omnium, quibus Germania floret, legum subministraretur, et singuli argumentorum scriptores accurate indicentur. Imitetur quis Celeberr. Chr. Frid. Georg. Meisteri nobilem diligentiam artem

que

\*) In his latent certissimae iuris Germanici regulae, vt ideo Hertio, Pistorio, imprimis vero Eisenharto pro doctis

expositionibus magnopere sumus obstricti.

†) Heumannus in exercit. V. 2. p. 20 seqq.

que ingeniosam, \*) sibi que persuadeat, laborem satis durum iucundis posterorum laudibus iri compensatum.

*De professoribus iuris Germanici constituendis consilium.*

Sinant aequi lectores, nos vnicum adhuc idque pium desiderium aperte declarare. Omnes, qui causas, cur ius Romanum in nostra fora tam facilem aditum inuenerit, expenderunt, in eo amice consentiunt, primam a professoribus eo munere ornatis, vt institutiones, digesta vel codicem publice explicarent, esse repetendam. Quorum praeceptis iuuenes diligenter imbuti, omnem operam adhibuerunt, vt famam et doctrinam magistrorum feliciter imitando referrent. Quid igitur posset iurisprudentiae Germanicae contingere optabilius, quam si pariter in omnibus academiis eius publice docendae munus viris peritis patriaeque amantibus demandaretur? Equidem scio, in ipsis legibus saepe esse constitutum, vt iura Francica et Saxonica, vel vniuersa Germanorum iurisprudentia rite in commune iuuentutis commodum explanentur, quales sanctiones academia Rintelienfis, \*\*) Giessensis, °) Tubingensis °) et Marburgensis °) commendat, sed cur non vbitis eadem seruatur regula? Sapienter profecto Kiloniensibus professor iuris Germanici concessus est, °) quod exemplum vt omnes imitentur, vehementer optamus. Intellexerunt hoc electores Saxoniae principes, qui vt melius confulerent patriae, praeclara prudentia iuris Saxonici professores constituerunt munusque vtilissimum viris doctrina et fide excellentibus

m) in bibliothec. iur. natur. et genr. Goering. 1749—1757.

n) in statut. academ. sect. 2. r. 2. §. 2.

o) Hextius in d. de consultationib. lib. et iudic. §. 12.

p) in statut. renouat. de anno 1752.

q) Illustr. Ektor in der bürgerlichen Rechtsgelehrsamkeit der Teutschen sect. I. §. 10.

r) Dreyer de usu genuin. iur. Anglo-Saxon. p. 239.

lentibus commiserunt. Ita vero spes est, Germaniam in posterum Angliae, Daniae et Sueciae legum sapientia non esse cessuram, quod quidem ego tanto confidentius spero, quanto certius de principum, quorum prouida cura varias regit Germaniae prouincias, singulari aequitatis tuendae legumque emendandarum studio sum conuictus. Quod etsi facile sexcenta exempla comprobarent, sola tamen clementissimorum principum, quae Saxoniae salutem curat, prudentia abunde probat. Horum laudes digne satis celebrandas aliis relinquo maiore ingenio praeditis, quamquam quis est tanta eloquentia instructus, ut eas dicendo exaequare valeat? In hac igitur virium imbecillitate id vnum oro, ut mihi nunc liceat eam, quam sentio animi commotionem, si non diserte et ornate, fideliter tamen et pie significare.

*Pia vota nuncupantur.*

Tot vero tamque magna beneficia mihi huc usque contigerunt in Saxonia, ut eorum copiam et magnitudinem, non dicam verbis magnificis augere, sed nuda tantum enarratione percensere non queam. Veni ante decem annos Lipsiam, opibus et amicis plane destitutus, bono tamen animo, inque prouidentia diuina omnem spem et fortunam posui. Vix aliquantum temporis ibi transegeram, cum multos fama et meritis illustres viros nactus sum tamquam fideles rerum mearum tutores, qui meam qualemcunque diligentiam magis excitarunt, tentesque conatus de aliis bene merendi omni studio comprobant. Quorum insignis plane beneuolentia meos labores commendauit, auxit praemiisque iucundis exornauit. Iam laeta auditorum ingenii erectioris corona cinctus, in curriculo, quod cupida mente inieram, alacrius procedebam exitumque optabilem certe sperabam. Nec me spes mea fefellit, cum viris litterarum peritis, quin ipsis patronis, quorum prouida cura academiis nostris sapienter prospicit, innotescere coepi. Ab hoc




tempore id egi maxime, ut iis fidem, industriam studiaque mea probarem, et quod optavi, consecutus sum. Eximio enim favore me litterarum quidem cupidum, nullis tamen meritis praeditum condecorarunt patrique patriae indulgentissimo beneuole commendarunt. Ego vero hac propensione magis incensus omnem dedi operam, ut si tantorum virorum indulgentia, principis vero optimi clementia non satis dignus, tamen non prorsus indignus viderer. Quae igitur mihi praestanda erant grati animi officia, ea lubenter praestiti, et nunc, cum nouo eodemque insigni prorsus beneficio auctus sum, noua quoque pietatis testificatione declarare laboro. Quid enim contingere potest ad existimationem gloriosius, vel ad voluptatem vberius, quam munus consequi publicum, administrante res Saxoniae sapienter serenissimo principe XAVERIO, cuius res domi bellique excellenter gestas nulla aetas conticescet? Is vero mihi nomine serenissimi principis electoris FRIDERICI AVGVSTI, concessit munus professoris institutionum ordinarii in academia ea, quae eius gratiam pie semper venerabitur, pro quo beneficio etsi parum cumulate gratias agere queo, obstrictissimam tamen mentem lubens volensque testificabor. Non igitur tam consuetudine, quam potius ipsa pietate commotus, deuotissimi animi sensu publice exprimam voraque pia pro perpetua salute serenissimorum principum FRIDERICI AVGVSTI, MARIAE ANTONIAE et XAVERII nuncupaturus sum. Sollemnem igitur orationem habiturus, RECTOREM ACADEMIAE MAGNIFICVM, OMNES SAPIENTIAE DIVINAE HVMANAEQUE DOCTORES, GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQUE ACADEMIAE CIVES, OMNES denique LITTERARVM FAVTORES humanissime oro obtestorque, ut mihi publice pro iure Germanico futuro die Lunae verba facturo, beneuoli adesse grataque frequentia fauere velint. Dabam Virembergae Domin. Quasimodogenit. A. S. R. CIOCCCLXVI.

ERKLEND X ERKLEND

VITEMBERGAE,



LITTERIS CAROLI CHRISTIANI DÜRRII  
ACADEMIAE A TYPIS.




LIBRARY OF THE  
UNIVERSITY OF  
SACSEN-ANHALT  
MAGDEBURG

X











Wittenberg, Diss., 1765-66  
X 22842 94







2584

1746 27/6

DE  
IVRE GERMANICO  
MELIVS PERFICIENDO  
BREVITER EXPONIT  
ET  
AD AVDIENDAM ORATIONEM  
QVA  
MVNVS PROFESSORIS INSTITVTIONVM  
ORDINARII  
IN ACADEMIA VITEMBERGENSI  
DIE VII. APRIL. A. S. R. CIOIOCLXVI.  
RITE AVSPICABITVR  
HVMANITER INVITAT  
D. GEORG. STEPHAN. WIESAND.

